





FRIDERICIANAE ACADEMIAE PRORECTOR

IO. FRIDER. STIEBRITZ

PHILOSOPHIAE, POLITICES, OECONOMIAE ET CAMERAL.

PROF. PVBL. ORDIN.

REGIORVM ALVMNORVM EPHORVS

ACADEMIAE SCIENTIARVM MOGVNTINAE ADSRIPTVS

CVM

DIRECTORE ATQVE ACADEMICO SENATV RELIQVO

NOVVM LVCTVM

EX PRAEMATVRO OBITV

FRIDERICI WIDEBVRGBII

IVRIVM DOCTORIS

PHILOSOPHIAE, ELOQVENTIAE ATQVE ANTIQVITATIS PROF.

PVBL. ORDIN. ALVMNORVM MAGDEBVRGENSIVM

EPHORI

COLLEGAE SEMPER AESTVMATISSIMI

IVRE MERITOQVE EIVS CONCEPTVM

CVNCTIS BONIS CIVIBVS

QVOD EST FVNESTI PARS OFFICII

COMMVNEM FACIVNT

ET

BENE MERITI VIRI

GRATAM MEMORIAM

SOLLEMNI FVNERE PVBLICO

DIE XXVIII. MARTII DEDICANDAM

STVDIIIS OMNES PARIBVS COMMENDANT.

P. P. D. XXVII. MART. MDCCLVIII.

HALAE MAGDEBVRGICAE

STANNO IOANNIS FRIDERICI GRVNERTI.



FRIEDRICH WILHELM
KÖNIG VON PREUSSEN
HAT BEFÖHLET
DASS DIESE
SCHRIFT
ALS
GÜLTIG ANERKANNT
WIRD
UND
DASS
JEDER
DIESELBE
NACH
IHRER
ART
UND
GRÖSSE
VOR
SICH
BRINGEN
MÜSSE
DIE
KÖNIGLICHE
BIBLIOTHEK
ZU
BERLIN
DIE
KÖNIGLICHE
BIBLIOTHEK
ZU
MÜNCHEN
DIE
KÖNIGLICHE
BIBLIOTHEK
ZU
WIEN
DIE
KÖNIGLICHE
BIBLIOTHEK
ZU
PARISS
DIE
KÖNIGLICHE
BIBLIOTHEK
ZU
BRUXELLEN
DIE
KÖNIGLICHE
BIBLIOTHEK
ZU
LONDEN
DIE
KÖNIGLICHE
BIBLIOTHEK
ZU
STUTTGART
DIE
KÖNIGLICHE
BIBLIOTHEK
ZU
MÜNCHEN
DIE
KÖNIGLICHE
BIBLIOTHEK
ZU
WIEN
DIE
KÖNIGLICHE
BIBLIOTHEK
ZU
PARISS
DIE
KÖNIGLICHE
BIBLIOTHEK
ZU
BRUXELLEN
DIE
KÖNIGLICHE
BIBLIOTHEK
ZU
LONDEN
DIE
KÖNIGLICHE
BIBLIOTHEK
ZU
STUTTGART





adent adhuc oculi, si cogitamus vulnera,
 ex obitu magnorum in ecclesia et re-
 publica litteraria nominum, intra vnus
 anni tempus accepta. Quis enim rerum
 inter nos gestarum adeo est ignarus, vt
 nesciat, non esse amplius inter nos Illu-
 strem atque Experientissimum MICHAELEM ALBERTI, et
 Venerabilem atque Excellentissimum SIGISMVNDVM IA-
 COBVM BAVMGARTENIVM, quorum alter in arte saluta-
 ri, in diuinis scientiis alter vix parem habuit? Si itaque pe-
 nes nos stetisset, maluissemus omnino abstinere a noua
 scriptione lugubri, quae tum veterem dolorem nobis re-
 nouat, tum vero etiam nouam ad afflictis afflictionem addit.
 At enimvero placuit ei, qui res mundanas omnes, atque
 humanas inprimis, aeterna sapientiae lege sanciuit, et,
 quando mortales lucem hanc adspicere, quousque viuendo
 pertingere, et quando de vita decedere iterum de-
 beant, iam olim constituit, nouum Academiae nostrae
 vulnus infligere, dum mortalitatem exuere iussit alium,
 quo fruebamur, *Συνεργον*, vbi priora nondum coalescere
 potuerunt. Viuere scilicet inter nos iam desit, quem acer-
 be lugemus, *VIR EXCELLENTISSIMVS atque AMPLISSI-*

IV PROGRAMMA FVNEBRE

MVS, FRIDERICVS WIDEBVRGIVS, Iuris vtriusque Doctor, in hac Fridericana Philosophiae, Eloquentiae et Antiquitatum Profesor publicus ordinarius, longe celeberrimus, alumnorum prouincialium Magdeburgicorum Ephorus spectatissimus. Iacturam fecimus, quid enim dissimulamus? Viri ad maiora nati, a variis eruditionis partibus instructissimi, masculae eloquentiae Romanae calientissimi, oris facundia maxime pollentis, veteris et recentioris historiae, tum sacrae tum profanae, peritissimi, Potentissimo Porusorum Regi, at quanto ingeniorum indagatori et aestimatori! perquam cari, orbis literati totius ornamenti, Fridericianae nostrae Doctoris eximii. Quantumuis vero haec fletum et lacrymas prouocent; recte tamen in Dei, qui rebus nostris sine erroris suspitione praest, et nonnisi optimi legem exactissime sequitur, sanctissima voluntate adquiescimus, nobisque iam nihil aliud superesse videmus, quam vt memoriam Viri, longiore vita digni, tum ipsimet conferuamus, tum ad feros, si qui futuri sint, posteros transmittamus.

Quod igitur ad NOSTRVM attinet, in lucem editus est d. XIV. Martii A. MDCCVIII. Hamburgi, imperialis ciuitate, quae sibi non solum ex mercatura magnam peperit celebritatem, verum etiam nullo non tempore Nobilissima ingenia produxit, virosque omni eruditionis adparatu praeditos sinu suo complexa est, quorum catalogum si texere vellemus, cancellos huic scriptioni praefixos multum essemus excessuri. Patrem habuit FRIDERICVM WIDEBVRGIVM, *Iobannei*, quod ibidem floret, Sub-Rectorem, cuius eruditionem atque in erudiendis adolescentibus dexteritatem adhucdum pie colunt Hamburgenses. Originem

nem vero ducit NOSTER ex Illustri WIDEBVRGIO-
RVM gente, quae iam dudum in terris Brunsvicensibus
viris de ecclesia puriore meritisimis superbiit. Nominasse
hic sufficiat ipsius abauum, HENRICVM WIDEBVRGIUM,
Superattendentis generalissimi, et in consistorii senatu confi-
liarii, muneribus ibidem functum; aui porro par fratrum,
HENRICVM et CHRISTIANVM TOBIAM, quorum vter-
que Theologiam summa cum laude in Academia Iulia do-
cuit; et denique IOHANNEM BERNARDVM, optimum
CHRISTIANI TOBIAE filium, Professore Mathematum,
et Duci Saxo-Isenacensi a consiliis ecclesiasticis; qui hodie
adhuc Academiam Ienensem illustrat, deque Mathefi in
vniuersum, et inprimis de eius praeclaro in scripturis in-
terpretandis vsu, bene felicissimeque meruit. Gaudio sane
est, atque honori cedit, viros meritorum gloria conspi-
cios inter maiores suos numerare posse. At enim cum haec
a sola folius Dei prouidentia, semelque stabilito nascendi
ordine, pendeant; nec quisquam mortalium aliquid eo
conferre queat, vt hos vel alios progenitores habeat: tum
demum veram quis laudem ex maiorum splendore repor-
tat, si eorum vestigia numquam non ob oculos habet, ea
haud segniter sequitur, eorumque gloriam propriis meritis
et conseruat et amplificat. Id ipsum vero in quantum
NOSTER bene intellexit, in tantum etiam adeo sibi cu-
rae cordique esse fuit, vt iis merito ad latus sit ponendus.

Cum adhuc primam pueritiam ageret, iam obserua-
bantur in eo fidsissima memoria, felix ingenium, magna
phantasiae viuacitas, aliaeque animi dores, quae facile
praefagebant, haud vulgaria ab eo sperari posse. Omnem
igitur operam impendit sagax pater; vt ista naturae dona

B

exci-

VI PROGRAMMA FVNEBRE

excitaret, excitata prudenter dirigeret, et feliciter directa magis magisque perpoliret. Neque hic labor successu caruit. Vt enim nunc alia silentio praetereamus, quibus NOSTRO parens mature adiumento fuit, illud saltem commemorabimus, quod, cum tener puerulus vix fari inciperet, nonnisi latino idiomate usus, verba cum ipso fecerit. Unde contigit, vt, nondum sextum aetatis annum supergressus, latine loquentes non solum profus intelligeret, verum etiam et ipse latina loqueretur expedite pariter atque caste; aequalibus adeo progressibus in vernacula ac Romana lingua factis. Intelligi ex his poterit, vitiosissime peccare eos, inque florentissima ingenia iniurios esse, qui teneram aetatem latinam docturi linguam multorum annorum iter ingredi iubent, nonnisi grammaticae praecepta, satis saepe inepta, memoriae mandanda, et lexicorum usum crepantes. Hi vero quid aliud efficiunt, quam vt tempus plurimum annorum turpiter fallant, suae curae commisos magis torqueant, quam ad discendum alliciant, iis linguarum culturae omnis, quibus tamen nemo carere potest, qui ex veterum recentiorumque monumentis sapere gestit, taedium inspirent, atque sub finem curriculum scholastici aegre id obtineant, vt, in academias abituri, vix ac ne vix quidem latina quaedam sine auctoritate, sine gustu, iudicio et delectu conscribillare vel balbutire incipiant. Sed hunc in campum vt latius exspatiemur, nec praesens institutum patitur, nec temporis permittit ratio. Id potius notatu dignum censemus, quod NOSTER, comparata sibi nullo fere negotio loquendi facultate, se in veteres auctores abdidit, eosque diurna nocturnaue manu versauerit, ordinem chronologicum secutus, vt, vera et nativa linguae indole penitus cognita, suam dicendi rationem ad veterum exemplar

plar efformaret. Fecit hoc ipſo, quod omnes latinae linguae reſtauratores et promotores factiſſe meminimus. Videmur nobis de cetero hic haud vulgare providentis Numinis ſpecimen videre, quod res ita quam ſapientiffime ordinavit, vt is, qui aliquando Romanae eloquentiae doctor conſtitui, orisque facundia aliis praecire debebat, pluribus ab ineunte aetate opportunitatibus, ſive parentem, ſive natale ſolum, ſive alia, quorum in ſequentibus mentionem iniiciemus, ſpectes, donatus ſit, quae ad futurum egregium oratorem parandum atque effingendum pertinebant. O ſi homines per omnem vitam ad ea potiſſimum, quae, Deo gubernante, ipſorum quaſi cauſa, vt felices fortunatiquae redderentur, in mundo fiunt, animum adiungerent, eaque in ſuos uſus ſollicite transferrent! Quam beati eſſent futuri, quam ab infelicitate remoti, quam querimoniae, de bonitatis diuinae defectibus, eſſent expiraturae! At enim quam in propatulo eſt, experientia teſte, eos ſaepe numero ipſa talpa eſſe caeciores! Talem vero ſe non geſſit WIDEBVRGIVS, vtpote qui oblatiſ occaſionibus cum cura inſeruiit. His enim ita conſectis, linguae graecae operam dedit, quae tam verborum, quam rerum copia abundat, vt, qui ſupra eruditorum vulgus emergere voluerit, largiter quidem ſua arua irrigare, nemo autem ſine inſigni damno ea carere poſſit. Addidit ſimul galliam, cuius delitiis plane captus fuit. Vt vero etiam iudicandi facultas ad maturitatem perduceretur, Matheſin excoluit, eiusque partem practicam, quam *adplicatam Matheſin* vocant, ſingulari prorfus ſtudio eſt proſecutus.

Quae omnia vbi intra priuatos parietes cum NOSTRO peracta erant, *decennis* in Iobanneum Hamburgene

VIII PROGRAMMA FVNEBRE

concesfit, ea vltius perfecturus, quae domi didicerat. Sex annos integros in eo est commoratus, quorum dimidiam partem posteriorem celeberrimo, quoad vixit, IOHANNI HÜBNERO, Viro ab elegantioribus studiis commendatissimo, impendit, quo duce tum in geographicis, tum in genealogicis, tum in historicis insigniter profecit.

Pessimum eorum morem, qui immatura studia in academias propellunt, et sine omni mentis robore aduolant, fequi si voluisset NOSTER; tum non minus, sexennio hoc exantlato, de academia frequentanda cogitasfet, et forte primas tenuisfet inter eos, ceu lucus inter caecos. Sed vero aliter hic calculos subduxit, quippe qui integrum adhuc triennium in celebratissimo *gymnasio illustri* Hamburgensium exegit; non quidem somnolenter, et a consueta diligentia quidpiam remittens, sed ita, vt omnes ingenii vires partim ad vberiores studiorum, quae ab humanitate nomen habent, culturam, partim ad philosophiae dogmata percipienda intenderet. Praeentes hic offendit plures, quorum omnium in se merita numquam non gratissimo animo celebravit; plurimum tamen tribuit elegantis Viro ingenii, MICHAELI RICHEYO, deinde Venerabili, nec non per totum orbem litteratum celeberrimo, IOHANNI CHRISTOPHORO WOLFIO, et denique litteratissimo IOHANNI ALBERTO FABRICIO. Qui triumviri, animaduersa iuuenis ingenii vbertate, adeo elaborarunt in eo, tum publice docendo, tum interius admittendo, tum libris bonae notae cum ipso communicando, vt verbis non satis praedicare potuerit, atque inter praecipua, quibus Deus eum maclauit in his terris, retulerit beneficia. Tam alte etiam sibi infixerat eorum dicta, tamque com-

commendata sibi habuit eorum exempla, vt per totius vitae decursum ea exprimere adniteretur. O beatos discipulos, qui se a praeceptoribus intelligentibus formari patiuntur, et, vbi eorum curis ac lucubrationibus homines demum facti sunt, cum antea hominum tantum essent imitamenta, gratum per omnem aetatem pectus conseruant! Atque o beatos doctores, qui, deuoratis tot molestis laboribus, gaudere saltim et sibi gratulari queunt de mentibus, docilitatem prae se ferentibus, de erectioribus ingeniis, de iis, qui se ad gloriam Dei inter homines promovendam atque aliorum commoda procuranda praeparant! Talem se inde a puero exhibuit WIDEBVRGIVS. Praeterquam enim, quod animum gereret, a sordida plebe valde alienum, ad praeclara adfurgentem, et conuatum discendi ardorem aleret, christianae Religionis praeceptis, omnique morum doctrina, a prima infantia diligenter fuit imbutus; quibus ita cessit, vt nonnisi veri rectique amantem se vbiuis ostenderet.

Cum paterent ipsi vastissimae et selectissimae bibliothecae, Senatoria, Wolfiana, et Fabriciana; eas assidue frequentauit, omnisque generis libros legit. Inprimis vero, cum Graecorum Romanorumque veterum lectione, in qua haud interrupte perrexit, auctore incomparabili FABRICIO, scripta instauratorum meliorum litterarum, recentiorum veri nominis Criticorum, Philologorum, et litteratorum coniunxit, sibi que ea quam familiarissima reddidit. Ex quibus facile est ad iudicandum, quantos profectus adquisierit NOSTER, antequam ad Academiam abiret. Quae ideo commemoramus, vt intelligant nostri ciues, quid factu opus sit, si ad altiora grasfari, minime autem in imis

X PROGRAMMA FVNEBRE

eruditionis subfelliis subsistere, atque eruditorum plebi tantum adscribi velint. At enim vero cum haec plerumque desiderentur; quid mirum, si homines nonnisi barbaros, qui sine sensu et moribus sunt, se turbae eruditorum immiscere videas?

Tandem, hoc modo initiatus NOSTER, anno MDCCXXVII. *Fridericianam* Halensem, quae tum propter complures immortalis gloriae doctores, qui eam illustrarunt, tum propter innumeros fere Viros, de republica sacra et ciuili meritisimos, qui ex ea, tamquam ex equo Troiano, prodierunt, splendorem suum per totum orbem sparsit, adiit, ea comparaturus, quae fundamentis solidissime iactis superstrui debent, vt cum tempore firmissima aequae ac elegantissima totius eruditionis compages exurgere posset. Tantum ab ipso aberat, vt a strenuo virtutis studio ac litterarum amore descisceret, in libertatem adertus academicam, quae optimos interdum mores corrumpit, exemplorumque prauitate haud raro efficit, vt solertissima etiam ingenia, ac singulari virtutis laude cognita, celeriter degenerent, otiumque turpe et luxuriosam vitam sectari incipiant, vt potius satagens rebus suis, ac praeclara et laudabilia solum sibi proponens, quantum potuit, eo, quo coeperat, tramite indefesse progrediretur. Prouti vero apud animum suum constituerat, ad Iurisprudentiam et artes ciuiles incumbere; ita Virorum in his scientiis celeberrimorum scholas ea, qua decet, diligentia frequentauit. Inprimis vero lateri Perillustri IUSTI HENNINGII BOEHMERI, cuius merita et memoriam nulla delebit obliuio, nec non Illustri NICOLAI HIERONYMI GVDLINGII, indiuisus comes adhaesit, horumque doctrinas quam auidissime

disfime imbibit. Tribuit his curis nobile Triennium academicum; quo feliciter peracto, anno MDCCXXX. ad patrios lares remeavit. Non diu tamen ibidem mansit; sed confectis quibusdam itineribus, non sine Numine *Halam*, cui destinatus erat, MDCCXXXI. reuerfus est, supremos in vitroque Iure honores obtenturus: qui etiam in ipsum ab Illustri Viro, SIMONE PETRO GASSERO, collati sunt, postquam inaugurale specimen, *de fideicommissorum et codicillorum origine*, docte et eleganter conscriptum, publice et mascule defenderat.

Dici non potest, quantopere capti sint illius aetatis Profesores tum doctrina, tum praesertim dictionis elegantia, quam cum argumento exasciato coniunxerat WIDEBVRGIUS. Vnde accidit, vt ipsum non solum ad aperienda priuata collegia excitarent; sed etiam mortuo GYNDLINGIO, qui oratoris in Fridericiana prouinciam exornauerat, eundem, quamuis alia omnia meditantem, praeter spem et opinionem, prouti mortales futura prospicere nequeunt, REGI ea, qua par erat, animi submissione, vt dignitate Profesoris eloquentiae indueretur, commendarent. Valiturae fuissent omnino hae preces, nisi clementissimus REX iam statuisset de SCHVLZIO, tum Altdorfino, in Academiam Halensem euocando. Vt tamen NOSTRO eo certius de clementissima REGIS optimi in se constaret voluntate; eo ipso tempore officium eloquentiam extra ordinem docendi obtinuit, quod A. MDCCXXXI. sollempni oratione, *de reliquiis melioris humanitatis in barbara aetate*, est auspiciatus. Addebatur quoque A. MDCCXXXIII. *ordinarius* in Facultate philosophica locus, qui ipsi necessitatem imposuit summos in Philosophia honores capesendi, ex more maiorum.

Nunc quidem praeclarissime in eo defudauit, vt Academiae, cui plurimum debebat, se dicaret totum, omnesque vires ingenii conuerteret, ad celebritatem eius docendo scribendoque, pro sua parte, augendam atque amplificandam. Ac certe operae suae ac studii fructus ab eo tempore vberimos tulit laetissimosque. Etenim non solum academicorum ciuium fauorem atque beneuolentiam singularem sibi conciliauit, vtpote qui doctrinarum soliditatem, institutionis sinceritatem, ingenii praestantiam, orationis flumen et virtutem, admirati, magno numero ad audiendum eum confluerunt; verum etiam in dies altius exurgente apud externos Nominis fama plurimum gauisus est. Historiae imperii cognitione et Iuris publici scientia inprimis fuit delectatus: vnde in euoluendis vtriusque partibus se praebuit assiduam, in detegendis incognitis sollertem, in illustrandis obscuris acutum et profundum, in consulendis fontibus impigrum, in confirmandis veritatibus totum, atque in confutandis erroribus accuratum. Quid ergo mirum, si tot eruditionis specimina, quae nonnisi consummati quid continent, et sublime ingenium produnt, in lucem emisit, quae summi in re litteraria viri debitis laudibus profecuti sunt, quaeque grata posteritas numquam sine voluptate lustrabit? Neque nos aliquid vel adulationi vel alii adfectui daturus esse censendi sumus, si inter potissimos nostri seculi historicos et Iuris publici doctores WIDEBVRGIVM referre non dubitamus. Audiamus ea de re, quae in *Supplementis ad Noua Acta eruditorum Lipsiensia* T. II. Sect. X. p. 473-475. leguntur, vbi *origines et antiquitates Marggrauatus Misnici*, a WIDEBVRGIO euulgatae, eruditis significantur. *Si qua vquam*, ita verba l. c. fluunt, *commentatio historica formis publicis fuit descripta,*

Scripta, in qua ordinis concinnitas cum terso scribendi genere, ac soliditas in demonstrando eminent, cum modestia ac diligentia de principatu certant: hanc certe ipsam, de qua iam dicendum nobis, in eum numerum esse referendam, non significatio nostra, sed opus ipsum edocet luculenter. Quoties sese offerunt loca veterum diuerse lecta, auctor iudicio utitur limatisimo, populos veteres accurate suis concludit limitibus, et geographiam veterem ita a se excultam esse comprobat specimine haud uno, ut per Misniam et Lusatiam peragrasset cum Henrico Aucupe videatur. Testimonia ubique laudat scriptorum, quorum fides et aetas ad sensu sunt dignae.

Virtuti vero sua praemia, beneque meritis suos honores non deesse, ipse exemplum denuo comprobat. Etenim A. MDCCXXXVII a proceribus prouincialibus Magdeburgicis alumnorum Regiorum Ephorus est electus; et A. MDCCXXXIX a gloriosissimae memoriae Rege, FRIDERICO GVILIELMO, futurus bibliothecae academicae praefectus constitutus est; cui officio tamen, morte interceptus, praeesse non potuit. Quanta vero clementia Augustissimus Rex, FRIDERICVS II, qui hodie quam gloriosissime imperii clauum tenet, NOSTRVM profectus sit, nemini inter nos obscurum mansit. Cumque id pluribus, iisque sat luculentis, doceri documentis queat; vel illud saltem commemorabimus, quod ipsi anno MDCCXLV, post fata IOHANNIS HENRICI SCHVLZII, cuius nomen nobis adhuc venerabile est, prouinciam ordinarie eloquentiam tradendi quam clementissime demandauerit, eumque dein A. MDCCCLVI pingui stipendio munificentissime auxerit. Ceterum haud difficulter colligi

D

potest

XIV PROGRAMMA FVNEBRE

potest ex his, quanti fecerint WIDEBVRGII dicendi rationem, qui de nouo oratore academico constituendo cogitarunt. Quem enim iam ante tria fere lustra eloquentiae Professore sibi a Potentissimo REGE expetierant, dignum, qui in locum eloquentissimi GVNDLINGII sufficeretur, in eum nunc etiam suos oculos coniciunt, eumque solum idoneum esse existimant, qui B. SCHVLZIO, viro in Antiquitatibus et tersiore stilo tractando facile principi, succederet. Quanta autem cum fide et adprobatione commissa sibi munera geserit, quantoque nostrae Academiae ornamento fuerit, in omnium memoria et cogitatione versatur, ideoque rei huius prolixa commemoratione facile superfedemus.

Sunt non obscuri nominis eruditi, quorum mensis maior futura fuisset, nisi mores induissent barbaros atque intolerabiles, quibus se ipsos aliorum vel ludibrio exponunt, vel odio; immo eruditionem ipsam, quamvis immerito hoc fiat, in contemptum adducunt. Prae se ferunt quamdam rusticitatem, sunt decori immemores et fordidi, contradicendi studio laborant, immites se praebent, accessu difficiles, ad vitam socialem minus sunt apti, nonnisi de suis apicibus verba facientes, cetera alte ignorantes, superciliosi, gloriolam in mustaceo quaerentes, nilque aliud quam sua, imaginaria saepe, merita iactantes, aequalibus detrahentes, suamque fortunam aliorum decrementis inaedificantes, et quae alia dantur eiusdem commatis, quae vberius nunc non exponemus, ne crabrones excitas se videamur. Sed ab his felicem fecesum fecit WIDEBVRGIVS. Florebat inprimis morum venustate, honestatis et decoris erat studiosissimus, comem se exhibebat, ad inferuendum
prom-

promptum, in conuersatione affabilem et festiuum, numquam tamen leuis animi; artis aliis nocendi plane erat ignarus, et ad condonandum facilis.

Multa alia eiusdem generis adferre poteramus, sed sufficiant haec, quae iam abunde commonstrant, **NOSTRVM** clarissimum in orbe litterato obtinuisse nomen, doctorem academicum fuisse omnino excellentem, bonum ciuem, confortio humano maxime adcommodum, Virumque post fata admodum desiderabilem.

Nuptias **NOSTER** bis celebrauit. Primum quidem anno **MDCCXXXI** coniugem sibi elegit **MARIAM SOPHIAM**, **D. ERNESTI HENRICI KNORRII**, qui, dum viveret, Regi **Porusiae** a Consiliis in mandatis expediundis fuit, praeterea vero etiam Syndici, Secretarii et Quaestoris academici officia obiit, atque inter Patricios et Salinatores Halenses nomen suum professus est, filiam, quam viduam reliquerat **D. CONRADVS FRIDERICVS REINHARDVS**, Professor in hac alma publicus haud incelebris. Suscepit ex hac filiam vnicam, **FRIDERICAM SOPHIAM**, adhuc supersitem, vtroque parente iam orbatam, inprimis vero nunc patris amantissimi discesu valde perturbatam et adflictam. Vixit **NOSTER** cum suauissima vxore vsque ad annum **MDCCCL**, quo post grauiorem morbum ab ipsius latere auulsa est. Quae cum ita euenissent, transit anno **MDCCCLI** ad vota secunda, matrimonioque sibi iunxit honestissimam Matronam, omni virtutum genere, quae inprimis sexum elegantiore ornant, florentissimam, **ANNAM REGINAM**, **IOHANNIS ZACHARIAE BIECKII**, qui Regimini in ducatu Magdeburgico fuit ab epistolis, Patri-

D 2

cūque

XVI PROGRAMMA FVNEBRE

ciique et Salinatoris Halensis dignitatem tuitus est, filiam, quae antea nupserat IACOBO FRIDERICO LÜDECKE, Regi a Consiliis aulicis, itidemque Patricio et Salinatori in ciuitate Halensi. Quanto impensus se inuicem amauerunt hi coniuges, quanto maior fuit animorum inter eos consensus, quanto iucundius hinc fuit, quod inierant, matrimonium, quanto optabilior eius perduratio: tanto acerbius iam deplorat praematurum optimi mariti obitum moestissima Vidua.

Venimus tandem ad vltima, quae sustinuit VIR EXCELLENTISSIMVS. Biennium ferme praeterlapsum est, ex quo dispositione cachectica laborare, pedesque oedematicos ostendere incepit; quae obstructionem glandularum mesenterii vel aliorum viscerum significare videbantur. Pro ea, qua pollebat, mentis sagacitate illico animaduertit, finem vitae haud ita multo post has adfectiones ipsi acceleraturas esse. Neque a vero aberrauit. Sub veris enim, quod nunc agimus, initium in febrim quamdam catarrhalem, quam benignam salutare consueuerunt Naturae consulti, incidit. Quamuis vero haud vana indicia fanitatis recuperandae adfulgerent; mox tamen prodidit se hostis magis infestus et periculosus. Abiit enim, quacum colluctabatur, febris in lentam, atque *hydrops ascites* tandem NOSTRO moriendi necessitatem imposuit, postquam quinquaginta annorum spatium decemque dies viuendo expleuerat.

Quemadmodum vero mors haud improuisa ipsi superuenit; ita nihil eorum intermisit, quae ad bene beateque moriendum faciunt. Animam itaque Deo, optimi Saluatoris merito nixus, tamquam pretiosissimum thesaurum,
com-

commendatam effluit die xxiv Martii a. c. eo ipso scilicet die, quo memoriam mortis Christi pie celebrauimus.

Tu vero, *Lector*, quisquis es, *beneuole*, siste hic gradum, mentisque aciem paulisper in WIDEBVRGIO defige! Vtebatur is antea optima sanitate, viribus ingenii eminebat, doctrinae florebat vbertate, stipatus erat quotidie Illustrium et Nobilissimorum ciuium corona, nominis famam apud externos scriptis memoratu dignis sibi comparauerat, Regis ipsius pollebat gratia, aliquot annos in amicissimo consortio cum prudentissima vxore exegerat, polliceri sibi poterat in medio aetatis decursu constitutus diuturniorem vitae vsuram, plura meditabatur praeclara, neque dubium est, quin in posterum et sibi et aliis egregie fuisset inferuiturus, si vitam vltius protrahere potuisset. At enim quam caduca et fragilia sunt omnia, quae rerum vniuersitas complectitur! Languidum opinione citius fit corpus, prosternuntur ipsius vires, turbantur animae, quae semper ad nutum parata erat, functiones, NOSTER lecto adfigitur, alienae opis indigus, multosque dolores sentit, calamus ex manu excutitur, obmutescit auditorium, os disertum nunc balbutire incipit, nunc conticescit omnino, interuertuntur omnia consilia, oculi, fulgorem olim emittentes, caligant, artus rigent, cessat tandem omnis sanguinis motus, moritur, omnibus a tergo relictis. Quae et quanta catastrophe! Quam si aequa animi lance perpenderent omnes singulique mortales; omnibus enim eadem instat, omnibus nunc serius nunc citius subeunda est: tum spes haud leuis adfulgeret, fore, vt, intimius cognita rerum mundanarum, quibus fidere solent, instabilitate, nulli vicissitudini obnoxia, aeterna et perennatura circumspecturi essent.

E

• Nihil

XVIII **PROGR. FVNEBR. ACADEM.**

Nihil interim nobis iam relictum esse videmus, quam ut Deum immortalem supplices veneremur, velit moestissimam Viduam, tristitiaque obrutam Filiam diuino solatio largiter adficere; Academiae autem nostrae, quae Viri, tam bene de ipsa meriti, causa iam luget, quam gratiosissime interesse, ne vniquam deficient, qui nomen famamque ipsius tueantur.

In eo denique cum sumus, ut supremos honores EXCELLENTISSIMO atque AMPLISSIMO VIRO exhibeamus, qui die xxviii Martii ei decreti sunt; Fridericianae pariter atque ciuitatis Proceres, nec non Academiae ciues, ut dicto die consueto tempore exsequialem in sepulturam Bieckianam comitatum frequentia sua honorifica beneuole comonestare velint, ea, qua decet, obseruantia et humanitate etiam atque etiam rogamus.



Ut pateat Lectoribus nostris, quaenam ingenii atque eruditionis monumenta reliquerit B. WIDEBVRGIVS; aegedum accuratum eorum indicem, ordinem chronologicum fecuturi, designabimus!

LIBRI ET DISSERTATIONES.

Disf. inaug. exhibens fideicommissorum et codicillorum originem, argumentum inclinantis et mutatae Romanorum reipublicae. Halae. 1731. Praefide SIMONE PETRO GASSERO.

Rerum Misnicarum *specimen primum*. Hamburgi. 1732. 8uo.

Origines et antiquitates Marggraviatus Misnici; *pars prima*, vbi de veterum Marggrauorum rebus gestis, vsque ad obitum Conradi M. fide optimorum scriptorum ac monumentorum exponitur, variique doctorum virorum errores deteguntur et emendantur. Halae. 1734. 4to.

Antiquitatum Marggraviatus Misnici *pars altera*, vbi de veterum Marggrauorum rebus gestis ab excessu Conradi M. vsque ad Fridericum bellicolum, qui Misnico Marggraviatus Electoris Saxoniae dignitatem primus intulit, fide optimorum scriptorum ac monumentorum discuritur, variique pasim doctorum virorum errores notantur et emendantur. Accedit in calce, de pagis veteris Misniae, dissertatio singularis. Ibid. 1735. 4to.

CONN. FRID. REINHARDI commentatio, qua fabula de Ludouici II, Thuringiae Comitis, ex arce Gibichensteinensi saltu, in se fern solche in dem teutschen Staats- und Kirchen-Recht ein Licht geben können, nach Anleitung Herrn Struvsens Reichs-Historie. Halle. 1738. 8v.

Unpartheyische Betrachtungen über die wichtigsten Begebenheiten und Veränderungen des teutschen Reichs- und Kirchen-Staats, in so fern solche in dem teutschen Staats- und Kirchen-Recht ein Licht geben können, nach Anleitung Herrn Struvsens Reichs-Historie. Halle. 1738. 8v.

De libertate Electorum S. R. I. in eligendis Regibus Romanorum, commentarius. Halae. 1744. 4to.

Disf. inaug. historica, sistens examen confortii imperialis inter Ludouicum IV. Bauarum et Fridericum Austriaicum Augg. Resp. ERN. CASP. POHLMANNO. 1752.

Sammlung vermischter Anmerkungen aus dem Staats-Recht und den Geschichten, nebst einer noch ungedruckten Vertheidigungs-Schrift Churfürst Augusts zu Sachsen gegen Herzog Johann Friedrich von Sachsen-Cotha. Halle. 1751. 8uo. *)

Vernünftige Gedanken von dem Mißbrauch der Religion und des geistlichen Standes zu einer Masse des Ehrgeizes und Eigensinnes. Halle. 1756. 8uo. b)

De vita et scriptis IOH. PETRI de LVDEWIG etc. commentarius. Halae. 1757. 8uo.

Abhandlung von dem Unterscheid der Off- und Defensiv-Kriege, worin besonders die Frage beantwortet wird: Wer bey einem entstehenden Kriege für den eigentlichen Aggressor oder angreifenden Theil zu achten. 1756. 4to.

OBSERVATIONES,

QVAS VIR BEATVS DIVERNIS HALENSIBVS INSERVIT.

1. Neue Erklärung des Vateranensischen Bildnisses von der Römischen Erdnung Kapfers Vorhari aus Sachsen, wider die gemeine Meynung. 1736. n. 3.
2. Gründliche Erörterung der Frage: Ob im Teutschen Reich ein Herkommen vorhanden sey, mit der Kayser-Wahl bey dem regierenden Kayser-Stamm zu bleiben? 1744. n. 13.
3. Rechts-gegründete Gedanken von der Freyheit des Churfürstlichen Collegii bey dem Römischen Königs-Wahlen. 1744. n. 21. 22.
4. Bedenken vom Ursprunge des Böhmischem Erb-Schenk-Amtes und dem damit verknüpften Iure ciuitatis germanicae der Cron Böhmen. 1744. n. 41. 42. 43.
5. Ob die Erdnungs-Stadt Aachen dem erwehnten Kayser Ruperto, Pfalzgrafen bey Rhein, den Einzug zur Königlichen Erdnung rechtmässig abgeschlagen? 1745. n. 45. 46.
6. Vom Ursprung und Bedeutung des zweyköpfigen Adlers im Reichs-Wapen. 1747. n. 42. 43. 44.
7. Historische Untersuchung vom Ursprung der Fabel, daß das Churfürsten-Collegium im zehnten Jahrhundert durch einen Vergleich Kayfers Otto des dritten und Papsts Gregorii des fünften gestiftet worden. 1749. n. 1.

E 2

8. Cj.

a) Hic fasciculus complectitur observationes nonnullas, quas inseruetae antea Auctor diurnis Halensibus.

b) Hoc scriptum iustu Regio est confectum, in quo stitum ita attemperauit, vt verae Religioni, quam nunquam non in oculis tulit, vbuis patrocinatus, stolidae superstitioni lacuum detrachere conatus sit.

8. Ehren- Rettung Dr. Ortens von Paß, ehemaligen Vice- Cancellers Herzog Georgens von Sachsen, zur Zeit der Reformation. 1749. n. 35. 36.
9. Gründliche Erörterung der Frage: Ob Teutschland mit Recht ein Römisches Reich genemer werde? 1750. n. 12. 13.
10. Anmerkung vom Ursprung, Wachstum und Abnehmen der Französischen Seemacht. 1760. n. 17. 18.
11. Jüdische Schicksale in denen Abendländern, nach dem Untergange des Jüdischen Reichs bis auf gegenwärtige Zeiten, besonders in Italien. 1750. n. 32. 33. 35. 36.
12. Anzeigae von dem so genannten Domes- Day- Book, oder ökonomischen Landes- Tabell Wilhelm des Eroberers, Königs der Britten. 1751. n. 4.
13. Der academische Degen. 1751. n. 11.
14. Ceremonie des Fußwaschens am grünen Donnerstage. 1751. n. 14.
15. Vom Ursprung und Fortgang des Commercienswesens der Teutschen. 1751. n. 22. 23.
16. Ob Woldemar der dritte, König von Dännemarc, vor einen Gottesleugner zu halten? 1751. n. 50.
17. Jeanne d'Arc. 1752. n. 10. 11. 12.
18. Veranlassung der ungegründeten Beschuldigung, daß Kaiser Carl der vierte das Königreich Arelat an Frankreich abgetreten. 1753. n. 9.
19. Rechtliche Erörterung der Streitigkeit, welche über die Ausschließung des Königs von Böhmen von der Römischen Königswahl, Maximilians des ersten, entstanden. 1753. n. 24. 25.
20. Verdünsche Theilung der Fräncischen Monarchie unter denen Prinzen Kayser Ludwigs des frommen a. DCCCLIII. 1754. n. 20. 21.
21. Staats- Fehler Kuperts, erwählten Römischen Königs, Pfalzgrafen am Rhein. 1754. n. 46. 47.
22. Ungegründetes Fürgeben von der heimlichen Resignation Ludwigs des IV. Römischen Kaisers, und eigenmächtigen Uebertragung des Kayserthums an den Herzog Heinrich von Niederbayern. 1755. n. 8.
23. Uebertriebene Apologien Wenceslai, erwählten Römischen Kaisers und Königs von Böhmen. 1755. n. 17. 18.
24. Erörterung einer merkwürdigen Urkunde Maximilians des ersten, Römischen Kaisers, betreffend die Bestimmung des Erbprinzen von Böhmen und Hungarn, zum Reichs- Verweser und fünftigen Nachfolger im Kayserthum. 1756. n. 5. 6.
25. Guldene Bulle des Römischen Kaisers Friderichs des zweiten, gegeben zu Udine im Friaul, im Jahr Christi MCCXXXII, aus dem Original auf das sorgfältigste abgeschrieben, ins Teutsche überfetzt, und mit einigen kurzgefaßten Anmerkungen, zur Erläuterung der erheblichsten Stellen, begleitet. 1756. n. 12.
26. Betrachtung der Ursachen, welche die Churfürsten bewogen, den Kaiser Adolph aus dem Hause Nassau des Throns zu entsetzen. 1757. n. 12. 13.
27. Vielfältiges Bestreben der Könige von Frankreich nach der Römischen Kayserwürde. 1758. n. 11. 12. ^{c)}

ORATIONES ET PROGRAMMATA.

1. Progr. inaug. de eo, quod nimium est in Iurisprudencia Romana. Halae. 1731.
2. Oratio inaug. de reliquiis melioris humanitatis in barbara setate. ib. eod.
3. Panegyricus FRIDERICO M. Borusiae Regi dictus d. 24 Jan. 1746.
4. Programmata in Inaugurationem Regiam FRIDERICI V. Daniae et Norwegiae Regis. ibid. 1747.
5. Progr. funebre in obitum IO. HENR. SCHVLZII. ib. 1744.
6. Progr. funebre in obitum SIMONIS PETRI GASSERI. ib. 1745.
7. Progr. funebr. in obitum IO. GEORGII FRANCKII. ib. 1747.
8. Progr. funebr. in obitum MARTINI SCHMEIZELII. ib. eod.
9. Progr. funebr. in obitum IVSTI HENNINGII BOEHMERI. ib. 1749.
10. Progr. funebr. in obitum CAROLI GOTTLIEB KNORRII. ib. 1753.
11. Progr. funebr. in obitum IO. CAROLI KOENIGII. ib. eod.
12. Progr. ad faecularem memoriam PACIS RELIGIOSAE, anno MDLV consecrae etc. ib. 1755.
13. Panegyricus in faecularem memoriam PACIS RELIGIOSAE etc. ib. eod.
14. Progr. funebr. in obitum CAROLI FRIDERICI WALTSGOTT. ib. 1757.
15. Progr. funebr. in obitum MICHAELIS ALBERTI. ib. eod.
16. Progr. funebr. in obitum FRIDERICAE EBERHARDINAE STECKIAE, gente VISCHERIAE. ib. eod.
17. Progr. quo academia Halensis orationem L. B. de LYNCKER in natalem Regium MDCLVIII habendam indicit. ibid. 1758.

c) Hoc fuit vltimum scriptum, quod publici iuris fecit Vir beatus.



Pon Lf 5025. 4^o



VO 8





FRIDERICIANAE ACADEMIAE PRORECTOR
IO. FRIDER. STIEBRITZ

PHILOSOPHIAE, POLITICES, OECONOMIAE ET CAMERAL.

PROF. PVBL. ORDIN.

REGIORVM ALVMNORVM EPHORVS
ACADEMIAE SCIENTIARVM MOGVNTINAE ADSRIPTVS

CVM

ATQVE ACADEMICO SENATV RELIQVO
NOVVM LVCTVM

PRAEMATVRO OBITV

FRIDERICI WIDEBVRGII

IVRIVM DOCTORIS

PHILOSOPHIAE, ELOQVENTIAE ATQVE ANTIQVITATIS PROF.
ORDIN. ALVMNORVM MAGDEBVRGENSIVM

EPHORI

ACADEMIAE SEMPER AESTVMATISSIMI
RE MERITOQVE EIVS CONCEPTVM

CVRIS ET MERITIS BONIS CIVIBVS

QVI AD HANC ACADEMIAM ADIUNCTI SONT

COMMVNEM FACIVNT

ET

BENE MERITI VIRI

GRATAM MEMORIAM

FRIDERICO WIDEBVRGIO
MUNI FVNERE PVBLICO

DIE XXVIII. MARTII DEDICANDAM

ACADEMIAE HUIVS OMNES PARIBVS COMMENDANT.

P. P. D. XXVII. MART. MDCCLVIII.

HALAE MAGDEBVRGICAE

STANNO IOANNIS FRIDERICI GRVNERTI.

